

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Antichristus g  
cum fonte primo

Non absurde quod ait Apostolus de ipso  
Romano imperio creditur dictum  
tanquam dictum sit: Tantum qui modo imperat  
imperet, donec de medio fiat;

hoc est, donec exeat de medio ecclesie misterium  
iniquitatis quod nunc occultum est.

Alius ergo sic, alius sic Apostoli obscura  
uerba coniectat quod tamen eum dixisse  
non dubium est, non ueniet ad uiuos et mortuos  
iudicandos Christus nisi prius uenerit  
ad seducendos in anima mortuos aduersarius  
eius Antichristus.

Sed in quo Dei templo sessurus sit incertum  
est, et utrum in illa ruina templi quod a Salomone  
rege constructum est an in ecclesia.

Augustinus XX. libro capitulo XIX.

→ Illud tamen, quod ait apostolus:  
Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat,  
non absurde de ipso  
Romano imperio creditur dictum,  
tanquam dictum sit: «Tantum qui modo imperat  
imperet, donec de medio fiat»,  
id est de medio tollatur. *Et tunc reuelabitur*  
*iniquus*, quem significari Antichristum nullus  
ambigit. Alii uero et quod ait: *Quid detineat scitis*  
et *mysterium operari iniquitatis* non putant dictum  
nisi de malis et fictis, qui sunt in ecclesia,  
donec perueniant ad tantum numerum,  
qui Antichristo magnum populum faciat; et hoc  
esse mysterium iniquitatis, quia uidetur occultum;  
hortari autem apostolum fideles, ut in fide quam  
tenant tenaciter perseuerent, dicendo:  
Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat,  
hoc est, donec exeat de medio ecclesiae mysterium  
iniquitatis, quod nunc occultum est.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 20.19  
(CCSL 48, B. Dombart ed., p.732, ll.64-78).

Alius ergo sic, alius autem sic apostoli obscura  
uerba coniectat; quod tamen eum dixisse  
non dubium est: non ueniet ad uiuos et mortuos  
iudicandos Christus, nisi prius uenerit  
ad seducendos in anima mortuos aduersarius  
eius Antichristus;  
quamuis ad occultum iam iudicium Dei pertineat,  
quod ab illo seducentur.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 20.19  
(CCSL 48, B. Dombart ed., p.732, ll.90-96).

Sed in quo templo Dei sit sessurus, incertum  
est; utrum in illa ruina templi, quod a Salomone  
rege constructum est, an uero in ecclesia.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 20.19  
(CCSL 48, B. Dombart ed., p.731, ll.30-32).